DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

de

AQVÆ POTU,

Qvam

Conſenſu Illuſtris atq; Inclytæ Facultatis Medicæ in Academia Regia Hafnienſi

Pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitimè obtinendis, Ampliſſimi atq; Eruditiſſimi Auditorii æqvæ cenſuræ ſubjicit

JOACHIMUS FRISIUS

Brunsvicenſis,

Reſpondente

GEORGIO RASCH

Lolando,

Philoſoph. Baccalaur.

In Auditorio ſuperiori

Ad diem 28. Julii Anni 1680.

HAFNIÆ,

Literis CONRADI HARTWIGI NEUHOFII.

36 35

APPROBATIO.

Doctiſſimus Cl. Candidati JOACHIMI FRISII de AQVÆ POTU Commentariolus, Inaugurali Diſputationi deſtinatus, publicam lectionem typosq; noſtros optimo jure meretur. Hafn. XV. Jul. clɔ Iɔc LXXX.

TH. BARTHOLIN.
Fac. Med. Dec.

CAPUT I.

§. 1. NOtiſſimum eſt cuilibet, varia dari potuum genera, vixq; ullam dari Regionem, qvæ uno duntaxat utatur potu; Inter omnia autem potuum genera videtur mihi eſſe non tantùm antiqviſſimus, verùm & uſitatiſſimus aqvæ potus.

§. 2. Antiqviſſimum eum eſſe, tam profanæ qvàm ſacræ literæ facilè probant; Inter profana ſcripta, ne dicam de Hiſtoricis antiqviſſimis, ſufficit nobis unus Hippocrates, ex cujus obſervationibus, qvas de aqvæ potu in operibus ſuis conſignavit, cuivis liqvidò conſtat, homines non tantùm Hippocratis ævo, ſed etiam longè ante tempora iſta ſitim aqvâ ſedâſſe: In ſacris plurima occurrunt loca, qvibus probari poteſt, aqvæ potum vel Patriarcharum tempore hominibus fuiſſe uſitatum, qvo & poſtea eorum poſteri uſi fuerunt: qvinimo ipſe Filius Dei potum aqvæ haud reſpuiſſe videtur, hauſtum enim ejus petivit à muliere illa Samaritana, cujus fit mentio cap. 4. Johannis.

§. 3. Non arbitrandum autem eſt, aqvæ potum ſuum habuiſſe initium Patriarcharum tempore, ſed potus iſte à majoribus ſemper dubio procul propagatus fuit ad eorum poſteros, & ſic procedendo, concludimus, potum iſtum & ante diluvium hominibus fuiſſe in uſu, qvinimo primosq; homines hoc potu ſitim extinxiſſe, qvoniam alius potus, ſi lac excipias, illis paratus fuit nullus; An verò lacte uſi fuerint potus loco incertum eſt: Forſan & ſitim qvandoq; ſedarunt uvas, ſimilesq; fructus ſucculentos, comedendo.

§. 4. Sententiæ meæ, qvòd nimirum potus hominibus ante diluvium aqva fuerit, faventem habeo cum aliis Mercurialem, qvi in prælectionibus ſuis Bononienſibus pag: 493. ita: Ante diluvium, inqvit, utebantur Veteres ſolo aqvæ potu. Eadem ſententia videtur

tur & eſſe Beroſi, qvi libro 3. antiqvit. p. 25. ita: Janus ſeu Noa primus omnium invenit vites, atq; plantavit, & vinum conficere docuit, cujus vim & vaporem inexpertus ebrius effectus fuit. Ex qvibus colligi poteſt, homines antea lympham bibiſſe (nam potus factitii nusqvam fit mentio) qvoniam vires & uſus vini eos planè latuerint.

§ 5. Etſi autem Mercuriali atq; aliis facilè concedam, homines ante diluvium bibiſſe aqvam; tamen haud arbitror probari poſſe, ſolam aqvam ante diluvium & ab omnibus, & qvovis tempore ad ſitim ſedandam eſſe hauſtam, neq; potus inebriantes fuiſſe in uſu, qvod qvidem vulgaris habet opinio: Qvin imo huic opinioni favere videtur Paulus Crellius in Concordantiis Biblicis, voce, Wein/ qvando ita: Vor der Sündflut haben die Ertzväter keinen Wein getruncken. Tum Cramerus in Chronologia ſua Bibliis Germanicis Lutheri præfixa hæc habet. Eben in dieſem erſten Jahre (ſcil. Mundi 1658. qvo cum ſuis Noa egreſſus fuit arcâ) erfindet Noa den Wein/ und ſeinen Bau/ und wird am allererſten truncken. Nec Menochii ſententia diſcrepat à vulgari opinione, uti videre eſt in Synopſi Criticorum ſacræ ſcripturæ à Matthæo Polo adornata, c. 9. p. 103. ubi Menochius ita: Noachus ex ſurculis vitium, qvos ſecum in arcam tulerat, conſevit vineam in ordines diſpoſitam, vineta conſtituit, & ſuccum expresſit, qvod antea non factum.

§ 6. Si præcedentes ſententiæ ſano examinantur judicio, illud, qvod Mercurialis ſtatuit, veteres nimirum ante diluvium ſolo aqvæ potu fuiſſe uſos, veritati eſſe conſentaneum, aut probari poſſe, non arbitror. Beroſus, Crellius, Cramerus & Menochius excludunt qvidem diſertis verbis vini uſum ante diluvium, qvoniam autem haud inſuper negant, potus alios factitios fuiſſe mortalibus iſtis qvandoq; in uſu, proinde de hac eorum ſententia incerti ſumus, nec refutari poſſunt.

§. 7. Qvam ob cauſam autem citati, aliiq; præclari Autores vini potum ante diluvium adeò negent, non video, nam ex ſacris hanc ſuam ſententiam probare neqveunt, qvorum verba Gen. cap. 9. v. 20. hæc ſunt: Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibensq; vinum inebriatus eſt: Qvæ ſanè verba

ba non magis Noacho vini inventionem primam tribuunt, qvàm agriculturæ inventionem, qvæ jam Adami tempore in uſu fuit: Vocula illa plantavit, videtur innuere, qvòd Noa potiùs vini culturam jam ante notam de novo poſt diluvium inſtituerit, qvemadmodum agriculturam renovavit, longo tempore intermiſſam.

§ 8. Qvapropter Cartwrightus in annotationibus ſuis eruditis ad verba illa: Plantavit vineam, propius accedit ad veritatem, qvando ita commentatur: Vini uſum, inqvit, inveniſſe Noë non dubitaverim, etſi potuerit aliqvis ante diluvium vini uſus fuiſſe; non ita ſtudioſè tamen elaboratus ex plantatione multarum vitium ſimul, qvæ eſt vinea. Qvam vineam plantatam vult eſſe Menochius, (cujus verba vide ſupra § 5. circa finem) ex ſurculis vitium, qvos Noa ſecum in arcam intulerat; Sed dic nobis Menochi, qvare Noa tam ſolicitus fuerit de ſurculis illis conſervandis, & qvidem per tot menſes, & poſtea plantandis, niſi optimè cognita ipſi fuiſſet magna illa utilitas, qvam mortales capiunt & ex uvis, & uvarum ſuccis?

§ 9. Absq; omni controverſia eſt verum, haud demum tempore Noë vitem eſſe productam, ſed eam usq; eſſe propagatam ab ipſo mundi exordio; Qvis igitur homines ante diluvium viventes, & qvidem gulæ luxuriæq; deditos, tantæ ſtupiditatis inſimulare non dubitaverit, ut ſtatuat, illos intra mille & ſexcentos annos percipere haud valuiſſe, cui uſui ſuccus in uvis copioſisſimè contentus inſervire potuiſſet, cùm tamen uvæ vel leviter digitis preſſæ ſuccum ſuum facilè fundant. Qvis homines noſtro ævo viventes docuit potum cum vino certantem extrahere ex pomis, pyris, betulis & palmis? Nonne tempus? qvod varia detegit, & ſagax humanum ingenium, qvod nunqvam qvieſcit, ſed res naturales ſemper ſuo ſubjicit commodo? Sed neutrum horum primi mundi incolis defuit, nec minùs operam gulæ deliciisq; dederunt, qvàm Apitii, noſtro ævo viventes.

§ 10. Et qvare non multò faciliùs vini uſum invenire potuerunt, cùm tamen potus inebriantes (excipiatur vinum) in freqventi uſu habuerint? qvod haud levibus probari poteſt argumentis. Adeamus Beroſum, qvi vel ipſo initio ſuarum Antiqvitatum laudes primi mundi egregiè decantat, qvando ita: Scribunt ante diluvium

circa Libanum fuiſſe Enos urbem maximam gigantum, qvi univerſo dominabantur orbi: Hi armis inventis omnes opprimebant, libidiniq; inſervientes invenerunt inſtrumenta muſica & omnes delicias: Commiſcebantur matribus, filiabus & ſororibus, procurabant aborſus, eosq; in edulium præparabant. Hæc Beroſus.

§ 11. Ex qvibus ſatis apparere arbitror, homines illos deliciis inveniendis maximè ſtuduiſſe: Et qvis omnibus deliciis, uti Beroſi ſunt verba, eximere poteſt ſuaves, gratos, inebriantesq; potus? Sanè libido eorum fuiſſet frigida, venusq; langvida, ſi generoſo potu fuiſſent deſtituti. Et qvis ſanus ſibi perſvaderi patietur, eos tantùm ſolicitos fuiſſe de gratisſimis eduliis, non verò de potu generoſo, atq; palatum titillante?

§ 12. Qvi Beroſi teſtimonio fidem non habebit, is Chriſti ipſius verbis fidem habeat neceſſe eſt: Evolvat is caput 17. Lucæ, v. 26. ſeqv. ubi Chriſtus clarè afferit, homines ante diluvium bibiſſe, (id eſt potâſſe, vertente ita hunc textum Caſtalione Matth. c. 24. v. 38.) eodem modo, uti homines Lothi ævo, & qvemadmodum proba ſcil. atq; ſobria progenies hujus ævi facit, poſteriq; facient usq; ad diem extremum; *Verùm* qvo potu nos explemus, aqvâ, an vino, cereviſiâve generoſâ? Qvid homines Lothi ſeculo in ſeſe ingurgitabant, aqvam? haud arbitror; uſus qvotidianus alium potum meliùs ſenſus animumq; ligantem docuerat filias Lothi, qvapropter haud aqvam, ſed merum parenti propinabant. Et qvomodo qvæſo aqvæ potus Deum adeò graviter ante diluvium offendere potuiſſet? ſanè aqvam bibendo nemo peccat, aut peccare poteſt, nam nil qvicqvam deliciarum aqva mera in ſeſe continet, qvæ bibentem irritare poſſent, ut ſe aqvâ expleat, eoq; potu abutatur, & ita Divinam iram in ſe provocet.

§ 13. Si itaq; potus inebriantes generoſive jam ante diluvium à mortalibus hauſti fuerunt, qvomodo Cramerus ſententiam ſuam §. 5. propoſitam defendet, qvando ita: Jn dieſem Jahre wird Noa am erſten truncken. Qvæ ſi ita explicanda eſt, qvòd Noa omnium hominum primus fuerit, qvi crapulâ correptus ſit, tunc maximè fallitur, & injurius eſt in Noachum Cramerus, qvod ex præcedentibûs apparet; Si autem eam ita explicatam vult, qvòd ſcilicet ipſe

Noa

Noa dicto tempore primâ vice ſit ebrius factus, & tum ſententia iſta vacillat, unde enim hoc probabit? Si autem Crameri mens hæc fuit, qvòd Noah primus ſit, cujus ebrietatis poſt diluvium ſit mentio, ſententia ipſius eſt verisſima, qvamvis verba ejus ſententiam hanc obſcuriùs exprimant.

CAPUT II.

§. 1. NUnc mihi & probandum incumbit, aqvæ potum eſſe uſitatisſimum, qvod mihi qvivis facilè concedet, qvi cum aliqva ſaltem attentione legerit varia illa itineraria, qvæ nobis peregrinantes curioſi cum ſumma ſua laude, noſtrà verò utilitate, conſignârunt: In iis apparet, qvàm rara ſit multis in locis aqva, præſertim ſalubris & pura, qvantâq; curâ ea colligatur, & qvàm avidè ad ſitim ſedandam ea expetatur: Imprimis eâ ſeſe inſtruunt iter facturi per loca deſerta atq; arida Africæ & Aſiæ; Item naves ad loca longè disſita abituræ. Meliùs autem & accuratiùs demonſtrant aqvæ potum eſſe uſitatisſimum tria illa præſtantisſima Opera, qvæ Olaus Dapper de Aſia, Africa, & America conſcripſit, in qvibus pasſim occurrit homines tenuioris ſortis, ut ſunt ruricolæ, milites, peregrinantes & plebeji, in dictis tribus orbis partibus lymphâ ſitim ſedare; Nec incolæ lautioris ſortis aqvæ potum ob regionum æſtum planè reſpuunt, qvamvis valde potu generoſiori delectentur, qvi varius eſt, utpote vinum ex Europa transvectum; Cerevisſia item Brunsvicenſis, qvæ vel in orientalem Indiam transportatur; Succus item ex palmis perforatis extractus, ſuccus item ex Nucibus Indicis, coqvos dictis, vide Chriſtophori *Vielheueri* Deſcriptionem Rerum Medic. pag. 98. *Vel* potus inebrians ex milio, aut Oryza & aqva coctione paratus; Vel ſuccus ex Aloës Americanæ radice extractus, & cum alia qvadam radice, Ocpathy dictâ, coctus, qvi potus & vinum æmulatur, & bibentes inebriat, ſed efficit oris halitum maximè fœtentem, qvo potu Americani valde delectantur, uti videre eſt in Tract. Joh. Dan. Majoris de Aloë Americana p. 23. Sed qvoniam mihi non eſt animus de varietate potuum tractare, plura de iis non addo.

§ 2. Ad

§ 2. Ad Africam pertinet Ægyptus, qvæ Nili aqvâ ſitim levat, ſed ea eſt turbida atq; limoſa; qvæ ut ſit uſui apta, ſingulari artificio refrigeratur, & per tenuisſima vaſa fictilia percolatur, uti videre eſt apud Galenum l. 1. de ſimpl. Medicam. facult. cap. 4. pag. 9. Tom. 5.

§ 3. Ex iſtis orbis partibus tranſeo ad Europæos, qvi & ipſi aqvæ potum haud omnino reſpuunt: Sic videmus milites, qvorum ubiq; magni ducuntur exercitus, ſæpius aqvam haurire, qvàm cereviſiam; His addantur ruricolæ in Hiſpania, Gallia, Hungaria & Regionibus finitimis, in Tractu Rheni, in Svecia, præcipuè in Finlandia, in Norvegia & aliis locis, qvi omnes ſæpius aqvam hauriunt, qvàm potum alium.

§ 4. Non autem ruſticis tantùm in Hiſpania & Gallia uſitatus eſt aqvæ potus, ſed & cives atq; Nobiles, præcipuè horum fœminæ, ſitim aqvâ freqventer reſtingvunt, qvod refrert Bruyerinus, & ipſe Gallus, in Tract. de Re cibar. l. 16. cap. 12. pag. 674. ubi hæc leguntur: Senio, inqvit, confectis aqva non innoxiè potatur; Aſſveti tamen durant, ut apud nos agricolæ, qvos conſtat & ſalubriter & longisſimè vivere, qvorum pocula fontes ſunt liqvidi. Et cap. 9. pag. 667. ita ſcribit: Non tantum aqvæ potu (& qvidem ex imbribus in ſpecubus fosſisq; collectis) multitudo ruſtica utitur, ſcil. in Nortmannia, ſed etiam ipſa Nobilitas, qvæ rura incolit, gratisſimè illam uſurpat: Præterea potus ſuos, qvos ex malorum pyrorumq; ſuccis conficiunt, illâ aqvâ temperant atq; diluunt. Hæc Bruyerinus. *Verum* qvidem eſt mares lautioris ſortis, ut cives ac Nobiles, in Hiſpania & Gallia freqventius uti potu ex aqva & vino temperato; Sed fœminæ eorum libentiùs aqvam hauriunt meram, partim ob regionum æſtum, partim ut evitent ruborem puſtulasq; faciei.

CAPUT III.

§. 1. QVoniam autem in Medicorum lectione plurima occurrunt loca, qvæ potum aqvæ absq; ulla diſtinctione commendant omnibus, vel etiam damnant, eaq; loca legentem,

gentem, ſed Rei Medicæ minùs gnarum, ſeducere poſſent, ut ex aqvæ potu ſperet commodum ingens, cùm tamen vel aqva, vel viſcera ipſius ſint ita conſtituta, ut gravem ſibi eo potu contrahat noxam; Alius verò cui hauſtus unus vel alter aqvæ puræ atq; ſalubris in hoc vel illo caſu magno eſſet auxilio, reſpueret ejus uſum, commodoq; illo hinc careret, cùm loca qvædam apud hunc vel illum Autorem aqvæ potum improbantia legerit. Itaq; mihi animus eſt hoc capite tertio Loca qvædam proponere, qvæ absq; ulla diſtinctione bibentium aqvæ potum commendant; Capite verò ſubſeqvente adducam nonnullorum loca, qvæ potum iſtum damnant; Qvinto deniq; capite citabo eos Autores, qvi aqvæ potum qvibusdam admixtis huic vel illi præſcribunt: Qvibus omnibus ſubjungam aliqvalem pro ingenii viribus explicationem, & ita proficuum aqvæ uſum oſtendam.

§ 2 Agmen itaq; ducat G. Hornius, qvi in Arca ſua Moſis p. 153. hæc Proponit: Aqvæ frigidæ potus præſervat ab arthritide. Eandem habet ſententiam Bruyerinus, qvi ita: Obſervatum eſt, eos, qvi inter initia podagræ dolorisq; articulorum vini potum intermittunt, & ad aqvam confugiunt, magnificum ſentire præſidium, ac pene Divinum, vide Bruyer: lib. 16. de Re cibar. cap. 13. pag. 676. Ejusmodi curam experientiâ comprobatam habemus apud Brasſavolam Tract. de Offic. Medic. cap. 13. pag. 23. Podagricis tempore paroxysmi aqvam cum ſaccharo bibendam exhibet Tachenius in Morbor. Princip. p. 104.

Et ego curam hanc per aqvæ potum magnifacerem, ſi ſemper feliciter ſuccederet, tum minimi conſtat; Verùm qvoniam experientia teſtatur, operarios qvosdam, qvi ſæpius aqvam bibunt, & abſtemios nonnullos, laborare podagrâ, cura iſta videtur infida. vide & Tachenii Morbor. Princip. pag. 6. Tum non omnibus podagricis aqvæ potus conducit, utpote ſenibus, imbecillibus, ventriculum valde langvidum, aut reliqva viſcera labe magnâ afflicta habentibus. De hiſce omnibus videatur Bruyer: l. 16. de Re Cibar. c. 12. p. 674. Foreſt. l. 1. Obſerv. 13. p. 14 in ſchol. His accedit, qvòd ubiq; qvidem podagrici offendantur, aqva verò ſalubris ac potui apta non ubiq; habetur.

Qvòd autem aqvæ potus qvibusdam podagricis maximè profuerit, & Practici clariores, & crebra teſtatur experientia: Sed propinanda eſt tantùm iis, qvi in vigore ætatis ſunt conſtituti, qvi temperamento ſunt calidiore, qvorum viſcera ſunt maximam partem ſana, & deniq; iis, qvi vivunt in illis locis, ubi dantur aqvæ ſalubres, & qvæ loca à ſcorbuti labe ſunt libera.

Qværitur autem meritò, qvomodo aqvæ & lactis potus multos à podagra liberare potuerit? Qvam curam præter alios exemplis probat Sorbait Obſerv. 6. pag. 741. Reſpondeo, ardorem p. n. viſcerum alimenta corrumpentem, ſalemq; morboſum augentem, mitigando, materiamq; podagræ acido-ſalſam diluendo, ſolvendo, & per urinam ſudoremq; expellendo.

Tachenii potio ex aqva & ſaccharo parata nocebit, ſi freqventer ea exhibeatur, aut multum ſacchari ei addatur: Aqva enim per ſe hæret facilè in præcordiis, eaq; obſtruit; ſi itaq; multum ſacchari huic immiſceatur, noxa erit gravior: Vid. Sylvii l. 1. Prax. Med. c. 34. §. 100. pag. 270. Tum ejusmodi potiones dulces ſeu julapia ventriculum facilè affligunt, concoctionem ejus lædendo, nauſeam excitando atq; inflationes. Videatur Maynwaringii Hiſtor. Luis Vener. c. 11. pag. 108. Möllenbrocii Tr. de Varis c. 8. p. 93.

Et hoc de ſaccharo addendum cenſeo, illud ſcil. podagricis parum convenire, cùm ſpiritu acerrimo abundet, aqvæ ſtygiæ vix cedente. qvæ verba ſunt Williſii in Tract. de ſcorbuto p. 324. Qvòd autem ſpiritus iſte ſacchari acerrimus, ſi ipſius uſus erit freqvens, malum podagricum valde poſſit exaſperare, qvivis facilè animadvertit. Præterea ſaccharum haud raro adulteratur, qvibus hoc fiat, docet Thom. Bartholinus Tract. de Fraudib. Pharmac. p. 154. ſeq.

§ 3. Potus aqvæ frigidæ per tres aut 4. dies continuatus ſedat dolorem Iſchiadicum. G. Hornius in Arca Moſis p. 155.

Si Hornius loqvitur de dolore Iſchiadico, qvatenus eſt arthritidis ſpecies, ſententia ipſius planè culpari neqvit, qvamvis non omnibus Iſchiadicis promiſcuè potus iſte conducat, de qvo vide § 2. proximè præcedentem; Si autem intelligit dolorem iſchiadicum qvemvis, (nam differentiam ponit nullam) ſententia ipſius non minus eſt abſurda, ſed magis noxia, qvàm veterum nonnullorum Pytha-

thagoræ ævo, qvi dolorem iſchiadicum cantilenis curare voluerunt, de qvibus agit Cœl. Aurelianus l. 5. Tardar. Paſſion. c. 1. pag. 511. Qvod jucundum remedium nuper junior aliqvis Medicus (uti videtur in Italia) in hoc dolore curando adhibuit, ſed irrito ſucceſſu, hinc meritò exagitatur à Franc. Redi in Obſervat. de Viperis p. 62.

Qvòd autem aqvæ potus in qvovis dolore iſchiadico locum non habeat, qvivis facilè concedet, qvi hujus doloris cauſas diverſas perpenderit: Oritur enim qvandoq; ex crurum vehementiori refrigeratione, qvod exemplo probat Riverius Obſerv. 4. Cent. 1. pag. 556; Oritur qvoq; ex ſcorbuto, qvod malum ſive dolor ſolet eſſe valde diuturnus, vide Tract. Eugalen. de ſcorbut. Signo 30. pag. 141. 257. 258; Ex Menſibus obſtructis, Hippocrate docente lib. de Natur. pueri p. 17. Sect. 3. Ex lympha extravaſata, & poſt à frigido aëre in coxendicum regione coagulata, & acrior facta. vide Sylvii lib. 1. Prax. Medic. cap. 50. §. 11. ſeq. pag. 315.

Qvæ materia extravaſata qvandoq; eſt valde acris, ac viâ in affecto loco factâ inſtar porri viridis effluit, vide Obſerv. 6. Sorbait pag. 743.

Sæpiſſimè autem naſcitur ex meſenterii obſtructione, hinc malo hypochondriaco affecti freqventer iſto dolore vexantur, nam fit peccantium humorum μετάστασις per arterias meſentericas, & cœliacæ ramos, notante Mœbio in Fundam. Medic. c. 11. p. 208.

Qvoniam autem nullus ſanæ mentis curam doloris iſchiadici ex hiſce cauſis orti ex aqvæ potu vel promittet, vel expectabit, plura de iſto remedio non addam.

§ 4. Aqva lutoſa vim habet alexipharmacam, ſi bibatur, qvia omnis terra, teſte Avicennâ, vim habet alexipharmacam. Johannes Matthæus Qvæſtion. Medicinal. 11.

Si qvævis aqva lutoſa eſſet talis ob admiſtam Terram Lemniam, hæc ſententia fidem aliqvam invenire poſſet; Qvoniam autem ea planè contraria eſt ſanæ rationi, experientiæ qvotidianæ, & omnium Medicorum dogmati, qvi uno ore aqvæ lutoſæ potum rectè damnant, qvivis ſententiam illam explodet, omniq; refutatione indignam judicabit.

§ 5. Celſus optimum eſſe ait in fine paſtus aqvæ frigidæ rum aſſumere: Qvod à ratione alienum non eſt, illa enim frigiditate ſuâ ſtomachi orificium leviter conſtringit, calorem cogit antiperiſtaſi, & vaporum aſcenſum prohibet, Riverius lib. 4. Inſtitut. cap. 5. in fine p. 121.

Eandem ſententiam approbat, & iisdem fermè proponit verbis Mercurialis l. 3. Praxeos c. 12. p. 289; niſi qvod hic aqvam propinet cubitum ituris ad uncias qvatuor aut qvinq;.

Nec alienus eſt ab hac ſententia Timoth. Brightus, qvi part. 1. Hygieinæ p. 78. ita ſcribit: Cùm qvis ſatur eſt, nihil ei tum agendum, & ſi poſt aqvam frigidam parcè biberit, tum pauliſper vigilet, deinde bene dormiat; multò faciliùs coxerit.

Intelligenda eſt citatorum Autorum ſententia de ventriculo juvenili, valido & plùs juſto calidiore, qvi alimenta calore exuperante qvaſi aſſat, corrumpit, & in nidorem vertit: Præſertim conducet hauſtus aqvæ iſtiusmodi ventriculo, qvando aëris æſtus ſentitur, aut cùm merum eſt ingeſtum, alimentave aromatibus nimium condita: Porrò reqviritur, ut aqva iſta ſit ſalubris, & potui apta, ſive non nimis gelida. Majus autem commodum ex aqvæ potu habebit is, qvi ipſi eſt aſſvetus. Nullo modo autem aqvæ potus à cibo conducit ventriculo langvido, frigido, aut pituitoſo, qvalis multarum fœminarum & ſenum eſſe ſolet: Horum concoctio adjuvabitur hauſtu meri, aut convenienti qvantitate ſpiritus vini, aqvâ vitæ maſtichinâ, & ſimilibus liqvoribus generoſis.

§ 6 Gravis qvorundam eduliorum halitus, ut cæparum, allii, caſei antiqvi, & ſimilium, aqvæ frigidæ potu in fine menſæ aut prohibetur, aut plurimum imminuitur. Riverius lib. 4. Inſtitut c. 5. pag. 121.

Approbo hanc ſententiam, utpote freqventi experientiâ edoctus, dummodo potus iſte non ſæpius repetatur, & ea obſerventur, qvæ præcedenti §. 5. dicta ſunt.

§ 7. *Videtur* aqva convenire capitis doloribus, hebeti viſui, comitiali morbo, articulari morbo, tremulis reſolutis per ſe, & cum melle pota. Aëtius Tetrab. 1. Serm. 3. cap. 165. p. 168.

De hujus remedii felici ſucceſſu ipſe Autor dubitat, qvod ex vocula,

cuſa, videtur; apparet, nam haud diſertè afferit, aqvæ potum morbos iſtos profligere; Prodeſſe qvidem potus iſte poterit, ſi vapores calidi ex ventriculo aromatibus aut mero æſtuante aſcendentes capitis dolorem excitant, aut ſi iſte oritur ex aëris æſtu. Qvi autem cauſam habet pituitam copioſam, tenacem, ſenſim putreſcentem in capite, illudq; vaporibus ſuis crasſis valde diſtendentem, eum dolorem aqvæ potus non ſedabit, ſed potius augebit.

Cæterum verum eſt aqvam frigidam hauſtam viſcerum intemperiem calidam (dummodo bilis acrior non abundet) temperare, humorumq; effervescentiam compeſcere, hinc potus iſte aliqvo modo juvare poteſt eos, qvi hebeti viſu, aut epilepſiâ laborant, ſi hoc malum oriatur per ſympathiam ex bile acriore ventriculi os ſuperius rodente, qvale habemus exemplum apud Galenum lib. 5. de Loc. affect, c. 5. p. 123. ſeq. Tom. 4. Illud autem malum ſcil. oculorum caligo, ſi cauſam habeat vapores craſſos ex viſceribus calidioribus ad cerebrum delatos, & caliginem qvandam per horas aliqvot, imprimis à paſtu, excitantes, qvod vitium oculorum hypochondriacos freqventer vexat, ſedari qvidem poteſt aqvæ frigidæ hauſtu; qvod probat Sennertus l. 1. Pract. P. 1. c. 6. p. 17. Verùm hoc remedium eſt maximè fallax, ſi vapores iſti ſurſum mittuntur ex corruptis humoribus in malo hypochondriaco: Morbus enim hic aqvæ potu non curatur, ſed augetur.

Si autem reliqvas tam Epilepſiæ, qvàm viſus hebetis cauſas examinamus, tantùm abeſt, ut aqvæ potus in morbis iſtis profit, ut eos potiùs inducat.

De articularis morbi cura per aqvæ potum ſupra jam dictum eſt §. 2. hujus cap.

Tremulis an aqvæ potus conducat, meritò qvivis in dubium vocabit, negativèq; reſpondebit, niſi qvòd tremor aliqvando excitatur, ſi vinum meracius, & qvidem jejuno ſtomacho, copioſè hauriatur; Hoc in caſu aqvæ potus frigiditate ſuâ ventriculum, nervoſumq; genus irritatum aliqvo modo compeſcere poſſet, licet aqva nervoſo generi non admodum ſit amica: Flatus & halitus acres nervos continuò vexantes, & ita ſpirituum inordinatam agitationem efficientes, ſunt qvoq; tremoris cauſa, teſte Sylvio l. 1. Prax. cap. 42.

§.26. ſeq. p. 292. qvos ſi aqva pota ſedare valet, nullo alio malo ſubſeqvente, omnino uſus ejus eſt admittendus, qvod & Sylvius facit loc. cit. §.46. ubi flatus iſtos medicamentis compeſcit. Aliàs aqvæ potus in tremore ſedando planè eſt inutilis, imò noxius, qvoniam cauſas cæteras tremoris exaſperat, qvæ ſunt vel imbecillitas facultatis motricis, ſpirituum defectus particularis, obſtructio nervorum imperfecta, frigida & humida nervorum atq; membrorum intemperies, uſus ☿ij tam internus, qvàm externus, perperam inſtitutus, &c. Hæ cauſæ nullo modo aqvæ potum admittunt, ſed reqvirunt medicamenta volatilia & ſpirituoſa, qvæ optimo cum ſucceſſu hiſce trementibus exhibentur & applicantur; Vide præter alios & Sylvii l. 1. Prax. Med. c. 42. §. 47. p. 294.

Tremulis reſolutis, &c. Has voces Aëtius præter necesſitatem conjungit: nam membrum tremens non planè reſolutum eſt, licet ad paralyſin ſit pronum; Simulac autem paralyſi afficitur, motus omnis voluntarius perit, ſervatq; eum ſitum, in qvem fuit prolapſum; Accidit interdum qvidem, ut membrum paralyticum per intervalla uno, eoq; tardo & langvido motu attollatur, ſed mox iterum decidit; verùm motus iſte ad tremorem non pertinet: Multò minùs aqvæ potus conducit paralyticis, utpote ipſis ſummè noxius, contrarius atq; lethalis.

§ 8. Qvi ſanus eſt, ac valet, is nullo habito diſcrimine ſemper eam aqvam, qvæ adeſt, bibat, Hippocr. lib. de Aëre, Loc. & Aq. pag. 67. Sect. 3.

Multum ſanè Hippocrates hoc in textu permittit; Verùm arbitror ea non eſſe tam indifferenter intelligenda, prout leguntur, ſed admittere unam atq; alteram limitationem, qvod ex ipſius Hippocratis verbis elicitur, qvæ mox loc. cit. p. 68. ſubjungit, verba ejus hæc ſunt: Calculo & rerum morbis, urinæ ſtillicidio, & coxendicum affectibus tentatur is, qvi omnis generis aqvas bibit. Qvomodo hæc conveniunt cum præcedentibus?

Dico itaq; ſub ſano intelligere Hippocratem eum, qvi ventriculo reliqvisq; viſceribus bene conſtitutis aqvæ potui aſſvetus ſit, qvi vivat in Regionibus calidis, ut ita beneficio caloris tam aëris, qvàm

piben-

bibentis, aqva venas faciliùs tranſeat, neq; in hypochondriis hæreat, qvod vitium Hippocrates præprimis aqvæ tribuit.

Per aqvam autem, qvæ adeſt, dubio procul intelligit Hippocrates eam, cui qvis ratione habitationis jam dudum eſt aſſvetus, & qvæ bibentis ſanitatem non læſerit; Aliàs occurrit hinc inde aqva, & guſtui & aſpectui ſeſe probans, qvæ tamen eſt maximè inſalubris, & cum bibentis gravisſima noxa, qvinimo vitæ periculo hauritur. Exemplo eſt ea, qvam Trœzenii habuere in uſu, de qva Plinius l. 31. Nat. Hiſt. c. 2. m. p. 620 ita: Aqvarum culpâ, inqvit, in Trœzene pedum vitia ſentiunt. In Arcadia ad Pheneum aqva profluit è ſaxis, Styx appellata, qvæ illico necat, ſcil. pota, Plinius Ibid. Lycus in Leontinis tertio die, ſi qvisqvam biberit, necat. Plinius l. c. p. 621. qvi hiſce verbis loc. cit. ſubjungit: Sed & hæc aqvarum noxiarum inſidioſa conditio eſt, qvòd qvædam etiam blandiuntur aſpectu, ut ad Nonacrin Arcadiæ: Omnino enim nullâ deterrent qvalitate. Qvibus non inconvenienter ſubjungi poteſt hic locus ex Galeno excerptus, qvi ita: Qvædam aqva, licet limpida puraq; appareat, & grati ſit ſaporis, nihilominus circa præcordia hæret. Galen. l. 1. de ſanit. tuenda p. 223. Tom. 2. Plura Exempla qvi deſiderat aqvarum vel noxiarum, vel lethiferarum, legat caput 1. lib. 6. Part. 2. Pract Sennert. p. m. 999.

§ 9. Aqvam optimam bibere conducit puero juveni, ac ſeni, Galen. l. 1. de ſanitat. tuend. p. 223. Tom. 2.

Rectè addit Galenus, qvòd aqva eſſe debeat optima, id eſt, qvæ ſit pellucida, qvæ omni alieno ſapore, colore atq; odore careat, qvæ epota in ventre non moretur, neq; ventriculum inflet. De qva videatur Galen. lib. de Ptiſana, p. 149. Tom. 2. Et lib. 1. de ſanit. tuenda p. 223. Tom. 2. Et Commentar. 4to in lib. ſextum Hippocrat. de Morb. Vulgar. p. 663. Tom. 3. Cardanus lib. 2. de ſubtilit. p. 99.

Verùm enim verò non cuivis puero, licet aqva ſit optima, potus iſte conducit, nimirum illis nocebit, qvi errore diætæ multam cumulârunt pituitam, hinc ſunt pallidi, graciles ac macilenti, qvamvis ſibi & aliis videantur ſani; His danda eſt cereviſia medio-

cris,

cris, probè cocta & ſufficienter lupulo condita; vel etiam parum vini aqvâ optimâ temperati.

De aqvæ potu juvenibus præſcripto videatur ſuprà §. 5. hujus capit.

Seni autem aqvam ego non propinarem, merum ipſi eſt convenientius, nam pauci aqvam absq; noxa hauriunt, niſi temperamento ſint calidiori, valitudine firmâ, & aqvæ potus ipſis fuerit usq; uſitatus. Exemplo ſint ſenes Galli ruricolæ, de qvibus vide locum ex Bruyerino deſumptum cap. 2. §. 4.

Sed qvid opus eſt hanc Galeni ſententiam multis vel limitare, vel refutare, cùm ipſe Galenus hanc ſententiam rejiciat improbetq; qvando Commentario 3. in libr. Hippocrat. de vict. ration. in acut. p. 496. Tom. 6. ita ſcribit: Aqva neq; incidendi vim habet, ut acetum, neq; calida eſt, ut mel: Tardè igitur jure optimo meat aqva, difficulter concoqvitur, atq; ægrè deſcendit, qvamqvam alioqvin & optima ſit, & culpâ omni vacet. Mox Galenus ſubjungit hæc: Optima qvamqvam ſit aqva, multo tamen tempore in ventriculo manet, fluctuationesq; plurimùm parit: Qvo fit, ut cùm bilioſus ventriculus fuerit, corrumpatur & illa. *Videatur* & ſimilis locus apud Galenum l. 7 M. M. c. 6. p. 172. Tom. 6.

CAPUT IV.

§. 1. Hiſce propoſiti memor ſubjungo nonnullorum Autorum ſententias aqvæ potum improbantes, qvi dubio procul experientiâ didicere, potum iſtum bibentibus freqventer noxam inferre. Primus locus cedat Hippocrati, qvi hæc de aqvæ potu annotavit: Aqva ſitim non ſedat, ſed irritat, ſiqvidem bilioſæ naturæ bilioſa eſt, & præcordiis mala, ſe ipſamq; malitiâ ſuperat, bilioſisſimaq; eſt, viresq; maximè labefactat, ubi in vacuitatem venerit. Lienem etiam & hepar, ubi ſuccenſum fuerit, auget, intus fluctuat: Nam frigida eſt, & non cocta, tardè permeat, neq; dejectiones, neq; urinas movet. Hæc Hippocrates l. de *Vict.* Rat. in Acutis p. 64. ſect. 4.

§. 2. Aqva febribus, & his, qvi bilem ſupernè ac infernè reddunt, & regio morbo incommoda eſt; Mutatur enim facilè in bilem, Aëtius Tetrab. 1. Serm. 3. c. 165. p. 167.

§. 3. Aqva